

VALENS vir militaris, simul etiam ciuiliū virtutum gloria pol-
lens, proconsulatum Achaia, à Gallieno datum, magno honore gu-
bernavit. Quem Macrianus vehementer reformidans, simul quòd in
omni genere vitæ fatis clarum norat, simul quòd inimicum sibi esse
inuidia virtutum sciebat, misso Pisone interfici præcepit. Sed Valens
diligentissimè cernens, ac prouidus, neque aliter posse sibi subueniri
existimans, sumpsit Imperium, & breui à militibus interemptus est.



PISO ex nobilissima Pisonum familia, vir consularis, à Macria-
no ad interficiendum Valentem missus, Thessaliam accessit, atq; il-
lic paucis consentientibus Imperium assumpsit, Imperator quasi
Thessalicus appellatus. Vir summæ sanctimonix, & temporibus suis
frugi dictus, omnibus principibus acceptissimus. Missis à Valente
percussoribus trucidatus est, paulò antè, quàm à suis Valens occide-
retur, eique postea à Senatu diuini honores sunt decreti.

In posteriore latere Imperator loricated sella Curuli insidens, si-
nistra septum, cui aquila imposita tenens, dextra globum sibi obla-
tum à statua muliebri corona thurrita ornata ante se stanti recipiens
adparet. Ad pedes eius vas floribus impletum, positum est. A tergo
verò victoria alata sinistra palmæ ramum gerens, dextra coronam
Imperatori impositura conspicitur, cum inscriptione: **THESSAL.**
AVGVST.

Aemilianus apud Aegyptios in Gallieni odium, coactus est Im-
perium suscipere, consentientibus Aegyptiacis exercitibus. Ad re-
gendum Remp. vigor ei non defuit. Nam Thebaidem totamque
Aegyptum peragrauit, & quatenus Barbarorum gentes forti autori-
tate